

## **Geschichte der Grundherrschaft Echternach im Frühmittelalter (Ed. Wampach) Nr. 170**

In nomine Ihesu Christi, eterni virginis nati, opificis summi, largitoris boni, arbitrio moderno per secula cuncta ordinantis honeste universam creaturam. Humani generis termino appropinquante, non incerta ruinis crebrescentibus seculum presens finiendum demonstrantur indicia. Undique unicuique mortalium eternitatis via attentius premeditanda est, per quam regnum et gaudium consequatur eternum. Idcirco in Dei nomine Godilda ob amorem Dei et remedium anime domini mei Giselberti ducis et anime mee dono et transfundo ad monasterium sancti Willibrordi et ad altare sancte et individue Trinitatis, in cuius honore infra emunitatem ipsius sancti patris constat [esse] constructum, et ad victualia canonicorum inibi Domino famulantium in pago Menifelt vocato, in comitatu Everardie et in villa Plaida mansum I et molendinum I, et in alia villa que vocatur Alcana iuxta Musellam fluvium picturas II, et in alia villa que vocatur Ketichi mansos duos et in villa Vellin picturam I, et in villa Limana picturam I quatuor locis dispersam cum mancipiis IIII, ea scilicet ratione ut quamdiv vivo in hoc seculo, prebendam I de ipso sancto loco ad singulis annis carradam I de vino accipiam, et hec omnia superius memorata a die presente teneant atque possideant, et quicquid exinde voluerint, faciant. Si quis autem, quod minime fieri credo, ego, quod absit, aut ullus heredum vel successorum meorum seu quelibet opposita persona contra hanc traditionem a nobis factam venire temptaverit, aut eam infringere voluerit, omnipotentis Dei iram incurrat. Actum anno.